

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

INTERPRETATIO GRAMMATICA

36
CAP. LIII. JESAJAE.

QVAM

EXCELLENTISS. PHILOSOPH. COLLEGII AVCTORITATE

P R A E S I D E

GEORG. IOA. LVDOV. VOGEL A. M.

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDIN. ADIVNCTO

AD D. III. JVN. MDCCLXVIII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B I I C I E T

AVCTOR

al.

HENRICVS CHRISTOPHORVS BRENNING

MAGDEBVRGICVS.

SEMINARII THEOLOGICI MEMBRVM.

H A L A E

APVD IOANNEM CHRISTIANVM HENDEL.



V I R O
MAGNIFICO SVMMEQVE VENERABILI
EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
GVILIELMO ABRAHAMO
TELLERO

S. T. D.

AVGVSTISSIMI PORVSSORVM REGIS A CONSILIIIS
IN DIRECTORIO ECCLESIASTICO LVTHERANO
ET SVPREMO CONSISTORIO CET. CET.

S. D. P.

GEORGIVS IOANNES LVDOVICVS VOGEL.

Perpendenti mihi innumera illa beneficia quibus TV me,
VIR MAGNIFICE, ex quo mihi in TVAM notitiam venire
contigit, cumulaſti, rubor proſecto ſuffunditur, ob intermis-
ſam tamdiu publicam aliquam grati animi ſignificationem. Et
maior

maior adhuc pudendi foret ratio, nisi persuasissimam mihi esset, animi mei indolem plane TE habere cognitam atque perspectam, nec potuisse TE dubitare, quin is, quem tantis dignatus es ornate beneficiis, eorum memoriam nunquam sit ex animo amissurus. Quo enim modo fieri posset, ut post meum abs TE discessum TVA in me merita statim obliuioni darem! Quomodo obliuiscerer, me a TE praeter publicam institutionem TVAM, quae cum aliis fruebar, priuatis etiam studiis in TVI adeo temporis iacturam summa fide exercitatum fuisse, tum in arte critica atque hermeneutica V. Test. tum aliis in disciplinis, quarum scientia accuratiori carere nequeant, qui academici doctoris munere aliquando fungi cupiunt. Hoc enim consilium TE & Illustri Brunsvicensium Oedero, Affini sempiterno singularique cultu prosequendo, suadentibus ceperam. Sed quid dicam de voluntate in me TVA, VIR MAGNIFICE, adeo prolixa, ut illo tempore, quo mihi Helmstadii TE uti licuit, meis interdum rationibus atque utilitatibus magis quam TVIS inferuire, et ad TVAM rem nimis, quam ad meam attentus esse mihi videreris. Mitto alia exempla huius generis beneficiorum, quae dum Helmstadii vixi, in me contulisti: commemorabo solum, fieri omnino non posse ut unquam eorum cogitatio mihi excidat, quum noua quotidie mihi.

ob oculos versentur. Discedentem enim me a TE, et multis
aliis optimis Viris Academiae atque Ciuitatis Lipsiensis, ita
praeprimis Summo Ernestio, quem semper honoris causa no-
mino, atque Illustri Belio, Patrono amabili, commendasti, cu-
ius singulari pro mea salute cura, quam dum viuam gra-
tus agnoscam, factum est ut ab Illo, Immortali Semlero no-
stro commendatus, ad hanc Musarum sedem me conferrem.
Iam, quum per triennium ea usus sum fortuna, in qua acqvie-
scere potui, atque tum ob Incomparabilis Semleri, S. V. Noeffeltii,
Ven. Murfinnae singularem fauorem atque beneficia, tum ob ex-
optatissimam tot aliorum, quos hic nactus sum, Fautorum bene-
uolentiam, aestimantissimorum denique Commilitonum studium
erga me laetissimus et vel maxime contentus meis rebus hic vi-
xerim; hoc TIBI, PATRONE AMABILIS, inprimis debeo.
Quae cum ita sint non potest non horum a TE in me collatorum
beneficiorum memoria quotidie animum meum subire. Cum
autem non ea de causa, et arrepta hac occasione debitas TVAE
munificentiae gratias persoluerem has ad TE, VIR VENE-
RANDE, litteras dederim, sed earum potius ratio haec sit, et
TIBI in praesentiarum Brenningium meum commendem,
omne illud scriptiois argumentum missum facio. Ne multis
verbis

verbis TIBI, VIR MAGNIFICE, molestiam adferam, commemorabo solummodo hoc, cum praeter laudabilem diligentiam quam scholis theologicis atque philosophicis tribuit, singulari ardore litteris Hebraicis, Graecis, Latinisque operam dedisse, hocque praepremis curasse ut aliquando non sine sperando usu inuentuti scholasticae praefici posset. Praeterea ita semper morum integritati studuit, ut sanctioris disciplinae cultorem decet. Commendatissimum itaque TIBI eundem esse valde cupio. Nec dubito fore ut hisce meis precibus locum des. Quod reliquum est, nouum illud munus, ad quod, ab Augustissimo Rege euocatus, capeffendum TE paras, ex animo TIBI gratulor. Si verbis gaudii mei sensum exprimere possem, gratulandi formula admodum verbosa vterer; at quum mihi verba vere deficiant, nil addo, quam quod rogem ut TIBI persuadeas me a nemine laetitiae sensu superari. Valeas, VIR SUMME VENERABILIS, TVO que fauore & beneuolentia in posterum quoque dignum me habeas velim. Dab. in Reg. Frider. a. d. II. Jun. c1810CCLXVIII.

§. I.

Prophetarum, publicorum illorum doctorum, quibus Deus temporibus V. Test. immediate utebatur ad voluntatem suam populo Israelitico declarandam, non omnium eadem olim, quod ex superstitibus eorundem scriptis, de his enim qui vaticinia sua litteris consignarunt iam loquimur, patet, ratio fuit. Plurimi scilicet, quod haud obscure ex eorundem libris colligere licet, non nisi ad fata sui temporis suaeque gentis patefacienda, atque ut minas cohortationesue ad suum aeuum pertinentes, proferrent, erant constituti. *Iesaiæ* nostri longe amplius erat officium. Neque enim suae genti solummodo, neque suae aetati a Deo erat destinatus, sed etiam ut omnibus illis gentibus, quibus cum Iudaeis atque Israelitis aliquod intercedebar vinculum et societas, fata sua denuntiaret. At nec circa illam tantum temporis periodum, qua vivebat, orationes eius versabantur, sed, quod praecipuum proprium erat *Iesaiæ*, circa totum illud tempus quod erat a sua aetate vsque ad finem reipublicae Iudaicae. Atque inde accidit, ut et dictiones cuiusque orationis, et, hicque praecipuum, orationis nexus, accurate debeant examinari, si quis in constituenda temporis periodo in quam oratio sit referenda, bene rem suam agere vult; aliaque horum vaticiniorum in *Iesaiæ* aetatem; alia in tempora captiuitatis Babylonicae; alia in ea quae haec sequebantur, liberationis; alia in illa quae inciderunt in imperium Maccabaeorum; alia denique in ea quae tulerunt Messiam et in quibus finis reipublicae Iudaicae factus est, sint ponenda.

In quam harum periodorum, persona; de qua in Capite nostro sermo est, sit quaerenda, haud difficile erit dictu. Pro singulari sane, in interpretando Iesaiano volumine, beneficio agnoscenda est Collectoris horum libellorum opera, quod non, ut fecisse videtur qui Ie-

remiae vaticinia collegit, vaticiniorum seu orationum breuiaria in eum ordinem, quo forte sunt inuenta, redegerit, sed temporis potius rei que naturae accuratam rationem habuerit. In hoc itaque libro, cum vaticinia illa, in quibus vtraque fortuna Iudaeorum explicatur, qua e captiuitate Babylonica reuerſi, vſi ſunt, vltima parte, a Cap. XL - LXVI. comprehendantur, exinde iam conſequi videtur, perſonam de qua hic ſermo eſt, non alio tempore, quam quod fuit a fine captiuitatis Babylonicae vsque ad finem reipublicae Iudaicae, quaeri poſſe. Verum enim vero facile videmus hoc nondum plane ſufficere, quum immediate praecedens oratio cum noſtra non cohaereat, neque etiam Collector fallere dici poſſit neſcius; itaque et alterum, cuius ſupra iam mentionem fecimus, acceſſendum erit argumentum, quod quamque ex gente Iudaica perſonam aliam, quam Meſſiam, excludet. Atque in hoc poſteriori argumento explicando tota noſtra occupata erit opera. Sequemur autem ordinem eum, quo orationis partes ſeſe excipiunt.

§. II.

Arctiſſime coniunctam eſſe poſtერიorem Cap. LII. partem cum ſequenti Capite LIII. non eſt, quod demonſtretur; eſt enim luce meridiana clarius hanc orationis particulam non niſi ſummam ſeu argumentum ſubſequentis orationis continere. Quum nimirum Noſter, vt nobis ſaltem fingimus librorum propheticorum oriundi rationem, orationis, quam populo copioſius expoſuerat, compendium conſicere illudque literis conſignare velle, ſecutus in eo videtur morem eum, quem alias ſaepius ſeruauit, vt quodnam futurum eſſet ſuae orationis argumentum ſeu conſilium breuiter indicaret *); quod in his tribus
verſi-

*) Ne precario hoc dixiſſe videamur, liceat duo ſolummodo proferre exempla. Ieſ. II, 2—5. argumentum eſt Cap. IV. et Hof. II, 1—3. argumentum poſterioris partis h. Cap.

versibus facit, in quorum priore vltima Messiae fara commemoravit, in duobus sequentibus autem, quaenam haec essent praecessura.

Felicitatis mentio, quam vers. 13. fecit, nos plane non morabitur, quum quisque vel nobis non monentibus videat, si, vt debet, posterius membrum pro expositione prioris habeatur, vix alium sensum locum habere posse, hoc: Eum, quo Deus tanquam legato seu instrumento vrsurus esset, tandem in summum gloriae fastigium elatum iri.

Maioribus difficultatibus premi videntur sequentes versus siue interpretationem spectes siue crisin. Quod ad vers. 12. attinet totus sum in interpretatione *l'Empercureii: quemadmodum de te*, Popule Iacobidarum, *stupuerunt multi*, ob calamitates a te sufferendas, *sic obstupescunt de eo, si videbunt quam male, persecutionibus quas perpessus est, sit adfectus*. Reiecit *Vitringa* hanc huius versus interpretandi rationem, utpote talem, quae nullo nitatur fundamento. At quaero, quodnam adhuc desiderari possit fundamentum, quum nexu orationis hanc interpretationem requirat, nec melior sane aut quae verior videatur addit. Illa enim, quam *Vitringa* hoc in loco protulit longe certe improbabilior est, qui nimirum vers. 14. *περτατων* orationis et vers. 15. *αποδοσιν* fecit. Adest haec vtraque orationis pars iam in vers. 14. et vers. 15. non nisi continuatio praecedentis est. Sequens vers. 15. magna premitur difficultate critica. Verbum enim *יִרְחֵם* a *יִרְחֵם* *adspargere*, cum nexu orationis non conuenit, nec defendi posse videtur, quidquid etiam aliunde adferatur praesidii. *Graecus Alexandrinus* transtulit *θαυμαστονται*. Vix ac ne vix quidem legit *יִרְחֵם*, huius enim verbi significatio nunquam est *admirari*. Admodum probabile inde, aliud

A 2

illum

h. Cap. a v. 13. vsque ad finem. Facile addere possemus innumera huius generis exempla tam ex prophetis, quam historicis locis, at mittimus, vt rem quam nemo facile negabit.

illum in suo Codice legisse verbum. Si coniecturae hic locus est, fuit verbum *נְשֵׁה* (א *שעה*) *Ob quam miseriam multarum gentium oculos in se conuertet.* Et multis utique nominibus sese commendare nobis quidem videtur haec noua lectio. Primum enim *adspergendi* sensus hoc in contextu plane ineptus est, quod quisque ingenuus sacrarum literarum interpres facile dabit; deinde dictio *פִּי קִבֵּץ* membri paralleli poscit hic sensum *admirandi*; porro idem interpres Graecus hocce verbum *שעה* per *Σαυμαζην* transtulit Ies. 41, 23. tandem facillimus erat lapsus librarii verbum *נְשֵׁה* ob soni summam similitudinem in *נְה* mutare. Quae noua lectio si iam admittatur, egregie inter se conuenient membra; sensusque erit: Admirationem omnibus stuporemque creaturam esse hanc miseram conditionem si viderint quantopere ipsos sua spes suaque expectatio, Messiam scilicet tanquam potentissimum splendidissimumque regem sibi fingentes, fefellerit.

§. III.

Argumentum in fine Cap. LII. praemissum sequitur ipsa oratio. Quanam causa fuerit cur Iesaias supra cum argumentum huius orationis suppeditaret, posteriorem orationis partem, exaltationis statum Messiae, priori praeponeret, malumus ignorare, quam ut incertis hic coniecturis locum daremus. Describit autem Noster hic Messiae conditionem atque fata, prout se sunt subsequuta.

Sub initium suae orationis, neminem sibi fidem habiturum esse, queritur. Posterius membrum interpretatu admodum difficile videtur, cum phrasia *זרע בגלותה* neque alibi vnquam occurrat, neque etiam, quod optimum esse solet dictiones huius generis explicandi medium, sub sensus cadat. Solus itaque facillimusque ex hisce difficultatibus sese expediendi modus hic erit, ut hocce posterius tanquam priori parallelum tractetur. Sane enim vix aliud quidquam dice-

re voluit diuinus vates in posteriori, quam quod dixit in priori membro.

§. IV.

Ex ordine, quem sibi, vt supra iam monuimus elegit Noster, initium facit descriptio conditionis Messiae ab eius pueritia vsque ad virilem aetatem. Continetur haec vers. 2. 3. et posteriori membro vers. 4. Sub initium vers. 2. duabus vsus est Iesaias imaginibus ad humilem illum miserumque Seruatoris statum depingendum. Vocabulum **לפניו** est, vt in innumeris aliis locis v. c. Pl. 9, 20. 56, 14. cet. ita etiam hic, terra Israelitica, quum Iehoua in eam solam, vt sibi finxisset videntur Iudaei, respiceret, eamque regendi scilicet gubernandique causa curaret; prout in aliis regionibus ii iterum dii, qui in illis colebantur, idem ex illorum persuasione, faciebant. Nomina **יונק** et **שרש** hoc in loco pro synonymis vsurpata esse nobis videntur, sensusque hic esse: Humillimam fore Messiae primis temporibus conditionem, neque quidquam in eo repertum iri, quod eum in sua adolescentia a quouis alio inferioris plebis, discerneret. Hanc interpretationem requirere nobis videtur tum natura vtriusque adhibitae imaginis, tum, quod semper fere in obscurioribus imaginibus factum esse animaduertimus, ipsa explicatio quam Iesaias his imaginibus adnexit in verbis **לא תאר לו ולא תדר**. In posteriori membro, vt et vers. 3. atque altera parte v. 4. eadem oratio continuatur; diciturque: eum plane nihil externi prae se laturum esse, quod vilo modo apud alios eum commendare ipsique beneuolentiam conciliare posset; sed futurum eum esse despectum, ab omnibus desertum, omnium vexationibus atque plagis expositum, odiosum ita vt omnes vultum eius fugerent; verbo, ita contemptum, vt a nemine vilo modo aestimaretur.

Haec omnia ita plana esse videntur, vt, si amplius ea explicare vellemus, potius forte obscurarentur. Difficilior erit nexus vers. 4. et 5. si non intuerentur vers. 4. membra. Putamus scilicet posterius membrum dicti versus, cum vers. 2. et 3. esse coniungendum; prius vero cum vers. 5. Et sensus huius membri hic erit: Quid quod! reputabitur, (ob insignem scilicet calamitatum atque malorum quibus adfligeretur copiam) improbus quem diuina vindicta singulari modo prosequatur. Hoc nobis dicere videntur verba **מענה אלהים**; et **נגוע אלהים**, **מכה אלהים**, quorum longiorem expositionem facile mittere possumus, quum haec a nobis suscepta iam satis nota probataque sit.

In priori membro vers. 4. et 5. arguit Iesaias eos qui tempore Christi, ob miseram eius conditionem sic forent ratiocinaturi, de falso suo iudicio, illosque admonet, plagas quibus adfectum viderent Messiam, non esse poenam quam sua ob peccata luere cogeretur, sed quae nobis sufferendae fuerant quasque pro nobis est perpeffus. *Verum enim vero egregie fallit eos haec illorum persuasio, miseriae enim calamitatesque quibus cum adfectum animaduertent, eae ipsae miseriae atque calamitates sunt, quibus nos ob peccata nostra adfligendi eramus.* Verba **מהלל מפשעינו** iterum plane parallela sunt sequentibus **מדכח מעוכותינו**, ita vt non nisi repetita vice per illa dicatur, Messiam quidquid malorum sit perpeffus, nostrorum peccatorum causa esse perpeffum. Quomodo vertendum sit **מהלל** disputant Interpretes, alii nimirum a **הלל** aut *profanatus* vertunt, aut *transfixus*; aliis magis placeat illud a **חול** deducere, vt sit *cruciatus*. Admodum difficile videtur ex apertis rationibus definire quaenam significationum, *transfixus* aut *cruciatus*, alteri sit praeferenda; vtraque enim egregie in sequens **מדכח** quadrat. Nullo modo nobis persuadere possumus his verbis a Iesaias

Iesaja ad crucifixionem Messiae allusum esse, de tristissimo enim hoc vitae sine demum vers. 9. quamuis necis genus non accurate ibi sit denominatum, sermo factus est. Putamus potius mitiori sensu interpretandum esse et verbum מַחֲלֵל et alterum מִרְכָּא atque non nisi depressionem Messiae in' miserrimam et calamitosissimam conditionem significare.

Quae sequuntur verba מוֹסֵר שְׁלוֹמֵנוּ עָלָיו, ex notissimis suis significationibus vertimus: *poena diuinae iustitiae persoluenda si salus nostra et cum Deo reconciliatio effici debebat, ipsi erat imposita.* Ultima verba huius versus, cum praecedentibus arctissime sunt coniuncta, et, nisi magis placeat plane parallela praecedentibus eadem habere, orationem continuant: *eiusque, quos perpeffus est, cruciatibus atque poenis salus nostra restituta est.*

§. V.

Quum itaque Noster, quae futura esset prima Messiae conditio quaeque fata mortem antecedentia, prolixiore oratione recensuisset, Iudaeosque ne falsa ex iisdem conicerent, admonuisset, et praeterea ipsam causam tantorum malorum commemorauisset, obiter adhuc mentionem facit poenae quam luere debuiffemus si Messias mediator noster factus non esset. Nisi ergo me omnia fallunt, haec fuit mens Iesariae, in priori membro vers. 6. Omnes nos, utpote diuinae iustitiae satisfacere non valentes, non potuiffemus non ita a Deo reiici, ut nostrum nullam plane curam ageret, sed nos potius nobis nostrisque peruerfis consiliis relinqueret. Dictio פָּנָה דְּרַכּוֹ optime illustrari potest ex loco parallelo cap. 56, ii. vbi verba כָּלֵם לִדְ רַכְּמָא אִישׁ לְבַצְעָא, exponuntur. Prout autem iam in dicto loco parallelo hic est verborum sensus: *quisque illorum non nisi sua curat; sibi soli prospicit,* sic et in nostro idem sibi velle videtur haecce phrasis: Quod attinet ad imaginem gregis sub initium huius membri vsurpatam, admodum

modum difficile videtur definire quinam eidem subfit sensus. Pari enim fere ratione siue oves *pascentes*, siue *errantes* aut *deperditae* mente concipi hic possunt. Prius arridet, quum scilicet totum genus humanum hic imagine gregis depingatur, nec de toto grege dici possit eum errare, sed hoc de singulis tantum eiusdem membris valeat. Sensum itaque imaginis sic constituimus: *Omnes nos, quum diuina iustitia a nobis grauissime esset laesa, non potuissimus non a Deo ita esse reprobati, ut nos resque nostras plane negligeret, nosque inde necessitate fuissimus coacti rebus nostris, quomocunque fieri potuisset, prospicere; ut itaque gregis mores imitari debuissimus, cuius singula membra, si sunt in campum deducta suae solummodo curae relinquuntur, nihilque ipsis a suo pastore suggeritur cibi.* In posteriori h. v. membro nulla amplius obuia est difficultas, claris enim verbis adferitur hoc: Deum summa illa poena, cuius mentionem fecerat Noster quaeque nobis erat sustinenda, Messiam adflixisse.

Sequens vers. 7. fistit continuationem praecedentis orationis. Initium huius versus nullam inuoluit difficultatem, praeter quam, quod dubium videri possit, an idem antecedentis versus finem tantummodo repetat, an vero cum sequentibus nostri versus verbis sit coniungendum. Si prius, hunc in modum vertenda erunt haec verba: *Adfigebatur ille cum debitum exigeretur*, cet. Verbum נשך saepius occurrit et vel de exactione pecuniae seu debiti, vel de arctatione vsurpatur. Priorem significationem hic loci tantum valere posse, si quid video, adnexa verba וְהָיָה נְעָרָה demonstrant. Quod si vero magis placeat dicta verba cum sequentibus coniungere, hic nobis sequendus erit interpretandi modus: cumque exigeretur debitum illeque ideo adfigeretur, omnia summa cum patientia est perpeffus, cet. Quae nam harum interpretandi rationum alteri sit praefenda, nos saltem defi-

definire non audemus. Redit enim hic res ad cuiusque lectoris seu interpretis proprium sensationum. Ad indicandam summam Messiae, in perferendis miseriis atque calamitatibus, patientiam vsus est Noster duabus imaginibus ex vita communi reperitis; ovis scilicet, quae ad mactationem deducatur, et eius, cui lana derondatur. Quale obsequium illa suo deductori, et qualem patientiam haec suo tonsori praebeat, nemini non notum; aptissime inde a Vate nostro ad Messiae pronam, in explendo hoc officio, voluntatem depingendam adhiberi poterat. Verba ceterum huius versus, ut et dictiones atque constructiones faciliores esse videntur, quam ut vlla interpretatione egeant.

§. VI.

Quid haec varia fata Messiae, dum in terra Iudaica vixit, tandem sit subsecutum recenset Noster vers. 8. atque 9. Ait scilicet eum tandem ex his persecutionibus iudiciisque esse ereptum. Sensus membri primi vers. 8. ab interpretatione verbi לקח pendet. *VITRINGA* illud vertit *assumptus est*, et de assumptione in gloriam hoc totum membrum interpretatur. Verum enim vero nullo modo consentire possumus in hanc explicandi rationem, cum in his duobus versibus, ex nostra saltem mente, non nisi de morte Messiae tristisque eiusdem vitae fine sermo esse nobis videatur. Vsus praepremis est *Vitringa* in sententia sua confirmanda sequentibus verbis ואת דורו מי ישוהה; quae explicat: *quis vitam eius gloriosam cum omnibus eius phoenomenis et effectis cogitando assequatur?* nullam autem esse hanc verborum interpretationem, posthaec docere conabimur. Vocabulum עצר *coarctatio*, varias designare hic persecutiones, quas Messias a Iudaeis tunc temporis viuentibus est perpeffus, non est, quod probetur. Difficilius videtur constituere, quo sensu hic vsurpauerit Noster vocabulum משפט. Fieri potuit, ut aut de falsis Iudaeorum de Messia subsumtionibus at-

que iudiciis, aut de publicis sententiis iudicialibus de ipso latis, sumserit. Illud ex posteriori membro vers. 4. defendi forte posset; hoc vero orationis nexui, et imprimis vers. 8. et 9. aptius esse videtur. Verimus itaque dicta verba: *His omnibus autem persecutionibus iudiciisque tandem est exemptus.* Quomodo sequentia verba *וְהָאֵלֹהִים דְּרוּרוּ שִׁי* a *Vitringa* sint explicata supra iam commemorauimus. Mouimus simul plane nullam nobis videri hanc interpretandi rationem, hocque demonstrare in promissis dedimus. Et facile quoque hoc fieri posse existimamus. Nimirum tota haec explicatio in significatione nominis *דְּרוּר*, quod scilicet ipsissimum Graecorum *γενεα* esse adfirmat. Hoc quidem ambabus concedimus, sed inde tamen, cum Graecorum *γενεα* vt Hebraeorum *דְּרוּר* et *aetatem* et *prolem*, seu *generationem*, significet, non consequitur, priorem significationem hic valere debere; deinde si daremus, *דְּרוּר* verti hic posse *vita*, quaenam, in mera malorum descriptione, adesset vel probabilis modo ratio cur de vita gloriosa cogitare possemus. Accedit, quod si eadem *Iesuae* mens, quam ipsi asserunt *Vitringa*, fuisset, ille non vocabulo *דְּרוּר* vt pote hoc in loco nimis obscuro et in quo altera demum pars sensus (*gloriosa* puto) suppleri debuisset, vsus fuisset, sed vsitatissimo potius, ipsique inde notissimo, *בְּכֹרֶת*. His de causis amplectimur hic significationem *prolis* seu *generationis*; vertimusque, et *prolem eius quis numerabit.* Admodum solemnem fuit Hebraeis interrogationis vsus hic, quod, si quid aut adfirmare aut negare voluerunt, propositionem suam, sub quaestionis forma, proferrent. Eundem et hic locum habere, nos quidem plane persuasum habemus; et quod negatiua reddenda sit propositio nemo negabit: *quis prolem eius numerare poterit*, h. e. *nemo illam numerare poterit.* Quid sibi iam velint verba, *nemo prolem Messiae numerare poterit*, nostrum adhuc erit docere. Nemo non videt
dupli-

duplicem admittere posse haec verba sensum, vel ut sint, innumeram fore prolem Messiae, ita ut prae multitudine numerari nequeat, vel nullam fore Messiae prolem, dum vita excederet, superstitem. Prior interpretatio ex sexcentis V. Test. locis parallelis, ubi scilicet haec verba quasi formula boni nuntii usurpata sunt, illustrari atque confirmari possent; at sunt nobis grauiora argumenta, cur eam admittere non possumus. Tum enim aperte nexui praecedentium verborum et subsequents versus, repugnaret, tum ipsi explicationi quam diuinus Vates in sequentibus verbis **כי נגזר מארץ היים** adiecit. Quare posteriorem interpretationem hic defendere conabimur. Videntur autem nobis verba *nullam fore Messiae prolem, dum vita sit sanctus, superstitem* significare hoc: Messiam tristissimum vitae finem experturum esse. Tristissima enim mors (ut et vita) ab Hebraeis semper reputata est ea, si quis liberis carebat. Prout ergo Vates diuinus in sequenti ratione (vers. 10.) cum summam Messiae felicitatem describere vellet, eadem dictione tropica a prolis copia repetita, usus est, ita et hic cum tristissimum infelicissimumque eiusdem vitae exitum describeret, eandem dictionem adhibuit. Ex nostra itaque sententia hic est prioris membri vers. 8. sensus: *Omnium praesecutionum atque iudiciorum, quae Messiae in hac vita perferenda sunt, finis fiet tristissima sua morte.* Posterius membrum huius versus, non nisi explicationem praecedentium verborum **מי ישוחח ואה דורו** continet. **ארץ היים** est hic *mundus*, excindi ex illo: ex viuientium seu hominum consortio, numero atque memoria deleri. Vltima verba **נגע למן** magnis iterum premuntur difficultatibus. Sive enim veritas *plaga ipse* sive *plaga ipsis*, minus quadrare videntur in nexum orationis. Prius satis ample supra iam exposuit Noster; posterius, nisi multa suppleantur, hic nullum habet sensum. Quae cum ita sint, haud contemnenda nobis videtur

varia illa lectio, quae in *Graeca Alexandrina* Versione prostat. Transtulit eiusdem Auctor *ἡ ἀρχὴ ἐῖς ἑβραίων*. Verum enim vero sic vertere non potuit si legit *כָּנַע לְמוֹ*. Quod si graeca haec verba in hebraeum sermonem transferre velimus, utique sonarent, ut transtulit *Vitringa*, *כָּנַע לְמוֹת*. Nulla iam, si haec noua lectio admittetur, supererit amplius circa orationis nexum difficultas; error quoque ex parte librarii facillimus fuisse videtur, forte enim abbreviate exscriptum erat *לְמוֹ* hunc in modum *לְמוֹ*, cumque lineola superscripta deleta sit aut saltem librarius eandem non animaduernerit, hocce verbum pro particula *לְמוֹ* reputatum. Ex noua verbi *כָּנַע* punctatione et sequentis vocabuli lectione, dicta verba verti possunt aut *perductus est ad mortem*, aut *plagis mortiferis adfectus est*, ob varias scilicet verbi *כָּנַע* significationes. Quatenam harum vertendi rationum alteri sit praeferenda, nos quidem definire non audemus, quum facile videamus, totam rem hic a cuiusque sensus ratione pendere. Liceat breuiter adhuc totius posterioris membri sensum repetere. Supra iam monuimus esse illud explicationem posterioris partis prioris membri, vertimus inde: *totus totus enim ex hominum numero est deletus, quum ob peccata nostra plagis mortiferis adficeretur.*

Verf. 9. cum antecedenti arctissime est coniunctus, sistitque tristissima illius mortis genus, quo Messias est adfectus. Prius membrum, omnes, quos scimus, interpretes de sepultura Messiae explicant. *Vitringa* v. c. hunc in modum *καταφραζέει* totum versum: *Cum enim videretur sepulchrum habiturus esse siue crucem, siue ei subiectum facinorosorum coemeterium, ex scopo et intentione eorum qui eum affecerunt supplicio crucis: curauit Deus, ut diues aliquis in se susciperet cadaueris curam, idque reposuerit in loco mundo; quippe passus erat innocuus, nullius unquam criminis reus, nullius conuictus.* Ut iam

in

in posteriori membro statim subsistamus, de hoc enim maxima fere pars interpretationis prioris pender, monemus, falsissimam esse, ut nos quidem existimamus, *Vitringae* versionem: *quippe passus erat innocuus, cet. pugnat enim cum linguae genio, dicendum scilicet fuisset Iesaiæ, si eum sensum, quem ipsi affingit Vitringa, exprimere voluisset לא יגו כי לא על לא*, etenim vocularum על לא coniunctio non aliam fert translationem, quam *quamuis non*, conf. Iob. 16, 17. Verba חמס et מרמה omnia iniquitatum atque scelerum genera comprehendunt. Vertendum itaque existimamus hocce. membrum: *quamuis neque violenter neque dolose peracti facinoris reum se fecerit*. Cum hac autem posterioris membri interpretatione, quam verissimam esse arbitramur, nullo modo conuenit *Vitringae* aliorumque prioris membri interpretatio, qui de sepultura Christi haec verba explicant. Liceat ergo breuiter nostram de horum verborum sensu coniecturam proferre. Videntur nobis verba רשעים et עשיר, deinde קברו atque במתו synonyma esse, ac illorum vtrumque *improbos*, horum vero *mortem* significare, denique vnum membrum ex altero interpretandum esse; et עשיר quidem ex praecedenti רשעים; קברו autem ex sequenti במתו. Ingenue fatemur, deesse nobis exempla similis vsus dictorum nominum, at hoc non impedit quominus eadem hac ratione non possimus explicare. Orationis nexus ex nostra fiat parte. Non negamus cum historia optime conuenire si עשיר טו hic de *Iosepho Arimatheensi* intelligatur. Verum enim vero sic deberet transpositio verborum agnosci, et קברו in locum טו במתו collocari. Concedimus possibilitatem talis erroris, et, si nexus orationis ferret, summam probabilitatem eius adfereremus; quum hic autem hoc in loco repugnet, admittere illam non possumus. Quod si enim verba במתו ואת עשיר de *Iosephi Arimatheensis* sepulchro explicantur,



tur, e nexu orationis hoc reponi in huius diuitis sepulchro pro poena habendum est. Ecquis vero dixerit hoc, quod in diuitis viri sepulchrum Messias sit repositus, fuisse poenam seu malum? Nullo itaque modo *diues* hic, *Iosephus Arimatheensis* esse posse videtur; cumque praeterea non alius diues, praeter eum, in historia passionis Christi commemoratus sit, hocce עשיר vix ac ne vix quidem de *viro diuite* poterit explicari. Quae autem alia eiusdem interpretatio tutior iam veriorque videri poterit, quam ea, quam verborum parallelismus hic suppeditat? Est nobis aliud adhuc, quod forte aliquod sententiae nostrae pondus addet, argumentum: Constat inter omnes tanquam maximos peccatores, eosque qui a Deo grauissimis poenis adficerentur semper descriptos esse illos, qui hoc solummodo curarent vt opes quomodocunque colligerent diuitiasque suas augerent; quidni itaque Iesaias, cuius stili sublimitas vbique fere ad poeticam rationem adsurgit, tali tropo hic potuit vri? cum sexcenta eiusmodi exempla in libris poeticis obuia sint. Quodammodo probabile reddisse speramus, nomen עשיר non nisi vt synonymum vocabuli רשעים hic vsurpatum esse a Iesaiâ. Restat vt, quo sensu nomen קברו adhibitum nobis videatur, edicamus. Si nomen עשיר in hoc contextu ex praecedenti רשעים explicandum est, sane quoad קברו idem erit faciendum, scilicet pro synonymo גם במתו habendum atque ex hoc exponendum. Nolumus autem iam in huius rei probationem longius excurrere, cum facile videamus, eum, qui admisit nostram de explicando nomine עשיר hypothesin, simul admisurum esse eam, quam de nomine קבר fouemus. Ex nostra itaque sententia Iesaias duabus dictionibus parallelis adferit hoc: *Messiam cum peccatoribus interituum esse*. Id quod duplici iterum ratione explicari poterit, aut *in eorum consortio*, quae communis fere est Interpretum sententia, aut *ea ratione*

ratione qua hi interire solent. Priorem explicationem quare admittere recusamus, hoc praesertim est in causa, quod nomen עשיר non in numero unitatis tunc exflare posset; quodque Noster non particula ארר sed בין usus fuisset. Rectius itaque nobis quidem videtur, sensum verborum, *Messiam cum maleficis interiturum esse* constituere sic, ut dicatur, *eum passum esse ut eo mortis genere, quo malefici adfici solebant, adficeretur.* In ipsis verbis nulla amplius nobis quidem adesse videtur difficultas; superest itaque, ut, quae in constructione obuia est, tollere conemur. Quid? si dicamus orationem prioris membri esse ellipticam, atque hoc modo supplendam: ויתן ארר רשעים קבר קברו (pro בקברו) ואח עשיר מות במתו. Videtur autem nobis oratio hunc in modum esse supplenda, quaecumque etiam eligatur eiusdem interpretandi ratio.

§. VII.

Absoluta iam miseriarum calamitatumque descriptione, quae Messiae in his terris forent perferendae depingit adhuc Noster in posteriori huius Capituli parte a vers. 10-12. gloriam illam, felicitatemque quae haec aduersa fata sit exceptura.

Initium vers. 10. ויהיה הפץ רכאו hac ratione optime verti posse existimamus: *Placuit autem lebouae adeo miseram reddere eius conditionem.* Ad sequens verbum החלי, nisi egregie fallimur, supplendum videtur ex priori membro, הפץ hocque praecedenti רכאו adiungendum: *ac ipsum tot tantisque adfligere plagis.* In sequentibus autem verbis אשם נפשו אשם תשים אשם agnoscendus forte est librarium lapsus; et, ut videtur, pro תשים legendum ישים. Scimus Interpretes alio modo huic difficultati mederi solere, construunt nimirum verbum תשים cum nomine נפשו; at parum placet interpretatio: *cum posuerit anima eius reatum pro peccato.* Vtique enim debe-

deberent proferri exempla similis vsus $\pi\alpha$ נפש in huiusmodi contextibus. Ais forte, constare, inter omnes nomen נפש coniunctum cum suffixis, pronominum vices sustinere, hicque *anima eius* idem esse ac *ille*. Hoc quidem non negamus, at idem, quod tamen vnicum huius interpretationis praefidium esse videtur, vt nos quidem existimamus, non nisi excusat illam et quodammodo probabilem reddit, nequam autem mouere aliquem posse videtur vt sic explicet. Sed nolimus iam amplius contra *Vitringianam* interpretationem disputare, sed vel duobus verbis nostram adhuc proferre, lectorique vtramque diiudicandam relinquere; vertimus: *si fecerit se* (vel *vitam suam*) *reatum pro peccatis*. Quae sequuntur cola, summae felicitatis, ex notione Hebraeorum, descriptionem continent. Duo priora, *prolis copia* atque *vita longaeva* creberrime hoc sensu adhibita esse in V. Test. nemo nescit. Tertium colon ex omnium gentium notione summae felicitatis sensum praebens, prioribus quoque adscribendum est. הפץ יהוה ex solemnibus Hebraismo, accurata scilicet Hebraeorum in denominando diligentia, explicandum videtur. Transferimus autem *quidquid sit suscepturus*. Haecque eius *consilia coeptaque*, quum omnia fuerint decreta diuina, Deoque adeo grata et accepta, a Nostro *beneficium Iehouae* dicta videntur; eadem fere ratione qua supra Cap. 13, 9. *incolae Babelis*, quum omnes fuerint homines impii, dicti sunt *peccatores Babelis*; et Mich. 6, 12. *possessores domuum* adpellati sunt *diuites domuum*, utpote qui collatis vndique per fraudes violentiasque aliorum opibus diuites facti erant. Ex nostra itaque sententia hic est vers. 10. sensus: Placuit autem Iehouae adeo miseram reddere Messiae conditionem, quo illum, si omne suum satisfactionis officium expleuerit, tanta maiore felicitatibus cumulare posset.

Vers. 11. coepta in praecedenti versu oratio continuatur, adfirmatur-

turque ex his cruciatibus, quos sit perpeffus, summam ad Messiam redituram esse voluptatem. Totus autem hic versus ex membrorum parallelismo erit explicandus. Ultima verba **ועונתם הוא יסבל** - fatclare demonstrant initium posterioris membri non esse verbum **ברעתו**, sed **יצריץ**. Dicitio itaque **ישבע ברעתו** quae, ex nostra sententia, non potest non ita coniungi, docebit quinam sensus sit praecedentium verborum **מעמל נפשו יראה**; quod scilicet vtraque phrasi adfirmetur: *Messiam ex intuitiva cognitione miseriarum atque cruciatuum, quos nostrum loco est perpeffus, gratissimam voluptatem esse percepturum.* Posterius membrum nullam plane inuoluit difficultatem ex sola enim litterali versione horum verborum adparet non alium locum habere posse sensum nisi hunc: *si scilicet cogitauerit atque viderit, quod tantae hominum copiae suis cruciatibus atque morte iustitiam procurauerit, illorumque loco poenas atque debita persoluerit.*

Sequitur *vers. ultimus* huius orationis, qui a praecedentibus non aliter differt, quam quod Iesaias non ipse amplius recenscat, sed *Patrem* loquentem inducat. Continuat autem idem hoc argumentum de tunc temporis futura Messiae felicitate, diciturque: Patrem, Messiam elaturum esse in summum gloriae fastigium; Dominum scilicet atque Regem totius illius populi, pro quo mortem passus sit, constitutum. Prior dicitio **אחלק לו ברבים** hoc sibi velle videtur: *sortem Messiae fore eam, ut multis praeficiatur.* Vocabulum **עצומים** tum de magnitudine qualitatis tum quantitatis adhiberi solere constat inter omnes. Ex parallelismo membrorum posteriorem speciem, magnitudinem quantitatis, hic agnoscimus, vertimusque: *magnae hominum copiae spolia eum esse distributurum*; i. e. magnam hominum copiam sceptro eius subiectam fore. Quoad sequentem phrasim **הערה לשון למות** perplacet interpretatio *Vitringae*, adfirmantis, metapho-

ram hic sumtam esse ab animantibus, quae iugulo scisso, ut in mactandis sacrificiis receptum erat, cultro mactatorio peracuto, cum sanguine animam *profundunt*. Recensentur autem hic causae cur Messias tantis cumuletur honoribus, prima, *quia mortem passus sit violentam*, et altera cum priori coniuncta, *seque instar malefici truciari passus sit*. Sequentia verba praecedentibus iterum sunt adiungenda sensusque illorum est: *haecque, quae perpassus est non sui causa sit perpassus, sed ut nostras poenas persolveret, et pro nobis apud Deum intercederet.*

§. VIII.

Restat ut breuiter adhuc in varias aliorum hoc caput interpretandi rationes inquiramus; cum talis inquisitio haud commode ab hoc nostro qualicumque scripto abesse posse videatur; nostrumque esse arbitremur probare, quod non arbitrarie sed ut nos omnia quasi impulerunt, interpretati simus. Putamus autem ex hac potissimum ratione adparere, veram esse nostram interpretationem quoniam in nullam aliam, quaecumque sit, personam, quam in Messiam, praedicata huius orationis quadrent.

In varias abripi se patiuntur partes, qui hic de Messia sermonem esse negant. Fuerunt qui sibi persuadebant subiectum orationis populum Iudaicum esse, qui fuit inde a destructione Hierosolymorum per Romanos facta usque ad praesens tempus exsul. At, quis non videt? non de totius gentis corpore sed de vnica tantum persona verba facta esse, deinde, quorum poenas lueret haec gens? ane aliorum? Taedet plura huic explicationi opponere —. Alia interpretum pars, qui viderunt non nisi vnicam personam hic esse agnoscendam, et tamen negarunt esse de Messia hanc sectionem posse intelligere, vel ad *Mosen* vel ad *Iesaiam* vel ad *Ieremiam* vel ad *Iosiam* cet. confugerunt. *Mosen* hic agnoscere non

non posse vel hoc fati clare demonstrabit, quod non historia hic contineatur eorum, quae alicui olim acciderint, sed quae illi sint euentura. Praeterea omnia quae *Moses*, *Iesaias* atque *Jeremias* perpeffi sunt mala, non fuerunt poenae quas nostra caussa perfoluerunt, sed quasi necessaria quaedam mala, quae eorundem officium illis adferebat. De *Iofia*, quamuis violentam mortem passus fit, quomodo valet initium huius orationis et finis eiusdem, et quam parum hac morte Iudaeos a captiuitate poenisque liberauit?

Satis superque inde adparere speramus hanc pericopam neque de toto corpore populi iudaici qui a destructione Hierosolymorum vsque ad haec nostra tempora vixit, neque de vlla alia modo recentiarum personarum posse explicari; cumque nemo alius in Historia sacra praeter Messiam sit obuius, eum solum hic agnoscendum esse omnium est probabilissimum? Quadrant in ipsum, vt ex historia Messiae clarissime doceri potest, quaecumque a *Iesaias* in hac oratione sunt praedicta. Nemo cum puer esset eum pro Messia reputauit; vixit ab omnibus fere contemptus atque despectus; cruentam mortem, malefici instar, est perpeffus; atque non sui sed nostrorum peccatorum caussa. Finita passione exaltatus glorificatusque est.

§. IX.

Forte non ingratum erit lectoribus, si coronidis loco de occasione huius orationis pauca disseramus. Videmus quidem non nisi coniecturas nos posse proferre, at satis tamen habebimus si non omnis probabilitas illis denegeretur.

Quod attinet ad *occasionem* huius orationis, ea duplici ratione concipi poterit, aut vt dicatur in *Iesaias* orationibus nexum hoc ita tulisse vt hocce de Messia proferret vaticinium, aut prolatum exciprumque esse illud quo populo iudaico quasi compendium extaret
fatorum

fatorum quae Messiae impenderent. Quae alia fingi praeter has possit occasio non videmus. Officii nostri ratio poscit ut iam disquiramus, quanam inter eas quas commemorauimus, vera fuerit occasio seu causa. Definire nil possumus; interim si coniecturae locus est, dicemus quid sentiamus. Videtur nobis utrumque genus occasionis, quod augurati sumus, hic admittendum esse, et ita quidem ut altera earum proxima, altera remotior causa huius orationis sit. *Iesaiam* non vni populo nec vni aetati a Deo fuisse destinatum supra iam monuimus, cur itaque, cum fata populi iudaici post captiuitatem Babylonicam, imo sub imperio Maccabaeorum, ipsis euentura ex mandato diuino recenseret, non dicendum sit, eum ad ea, quae instantem reipublicae finem rerum memorabilium proxime sint antecessura, significanda non fuisse constitutum; indeque cum post fata populi iudaici sub imperio Maccabaeorum nil memorabilius, aduentu Messiae, sequeretur, quum in vaticiniorum ordine ad hoc tempus esset delatus, hunc aduentum praenuntiare Messiamque describere quomodo potuisset negligere? Haec de nexu. Iam incumbet nobis probare et alterum occasionis genus huc pertinere. Orationes propheticas, quae nobis iam in libris prophetarum reseruantur, coram, antequam exciperentur, esse habitas, exinde sat clare probari posse existimamus, quod e maxime partis libellorum prophetarum structura, summa cum probabilitate demonstrari possit, non esse illos nisi compendia orationum coram expositarum. Non omnes autem, neque omnium, prophetarum orationes postquam essent habitae in compendia, redactae fuerunt, sed eae solummodo, quarum memoria reseruari intererat, atque quae posthaec ad conuincendum populum adhiberi debebant. Vides itaque, cum hocce vaticinium sit literis mandatum, alterum occasionis seu causae genus, agnoscendum quoque esse.

Das 52. Kap. v. 13-15.

Der Thron des Messias, wird zur größten Hohe erhoben, und mit unendlicher Majestaet geziert werden. Doch ehe dies geschehet, wird er vorher die unglücklichsten Umstaende erdulden müssen — Umstaende, über die jeder der ihn sehen wird, so erstaunen wird, als man über den Zustand des Volks in der Gefangenschaft sich verwundert hat. Er wird unglücklicher seyn, als ein schlechter gemeiner Mann — Und wer es alsdenn sehen wird, daß er der verheißene Messias wirklich sey, wird sich nicht genug wundern koennen, wenn er merket, wie er sich in seinen Begriffen und Vorstellungen vom Messias geirret habe.

Das 53. Kapitel.

Wer wird mir wohl in folgender Beschreibung vom Messias glauben, und sich überzeugen lassen?

Der Messias wird bey seinem Eintritt in die Welt ganz nichts koenigliches verrathen, und nichts an sich haben, dadurch er andere auf sich aufmerksam machte; er wird vielmehr von jedermann verachtet und verlassen werden; bestaendigen Plagen und Unfaellen ausgesetzt seyn; jeder wird ihn fliehen, und sich vor ihm scheuen. Kurz! er wird so verachtet seyn, daß niemand auf ihn sehen wird. Man wird um dieser Umstaende willen von ihm denken, er müßte ein Mensch seyn, den die goettliche Rache, wegen begangener Sünden und Uebelthaten, besonders verfolgte — unglückliches Urtheil! nicht eigene Uebelthaten, sondern unsere Sünden sind die Ursache solcher traurigen Umstaende. Er leidet das, was er erduldet, nicht um seiner, sondern unserer Sünde willen, und verschafft uns, durch dies sein Leiden, Friede und

D

Heil.

Heil. Das ganze menschliche Geschlecht haette, um der goettlichen Gerechtigkeit willen, verstoßen und sich selber so überlassen werden müssen, daß Gott sich gar nicht mehr um dasselbe bekümmert und davor gesorgt haette. Dies wurde nun vermieden, da Gott ihn mit denen Straffen, die wir haetten erdulden sollen, allein belegte.

Doch wird er alles dieses Leiden, das er zur Befriedigung der goettlichen Gerechtigkeit erdulden wird, mit der groesten Gelassenheit, die sich nur denken laest, ertragen. Er wird sich keinen Schmaebungen und Verfolgungen, die über ihn ergehen werden, widersetzen.

Endlich aber wird er von diesen Wiederwaertigkeiten und Verfolgungen wieder befreyet werden; jedoch nicht anderst als durch den traurigsten und unglücklichsten Tod. Er wird naemlich, ob er sich zwar keiner Uebelthaten schuldig gemacht, doch gleich Missethaetern eine schmaeblige Todesart leiden müssen.

Jedoch sind diese traurige Verbaengnisse alle nur deshalb in solchem hohen Grad von Gott über den Messias bestimmt, damit er ihn, wenn er sie wird überstanden haben, zu einem eben so hohen Grad der Glückseligkeit erheben koennte. Selbst sein Leiden wird ihm die angenehmsten Belohnungen geben. Er wird, wenn er nachher sehen wird, welche Menge von Menschen er durch dasselbe glücklich gemacht, und vor wie viele er die Straffe bezahlet, aus dieser anschauenden Erkenntnis die angenehmsten Freuden, und reizendsten Empfindungen schoepfen. Von der andern Seite wird ihn der Vater belohnen, ihn davor, daß er sich vor andere gleich einen Missethaeter toeden lassen, und vor so viele andere der goettlichen Gerechtigkeit Genugthuung geleistet hat, zum Herrn und Koenig der Menschen setzen.

Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3





PH 306

VD 77

NC







INTERPRETATIO GRAMMATICA 36
CAP. LIII. JESAJAE.

QVAM
EXCELLENTISS. PHILOSOPH. COLLEGGI AVCTORITATE
PRAESIDE
GEORG. IOA. LVDOV. VOGEL A.M.

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDIN. ADIVNCTO

AD D. III. JVN. MDCCLXVIII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SUBIICIET

AVCTOR *al.*

HENRICVS CHRISTOPHORVS BRENNING

MAGDEBVRGICVS.

SEMINARII THEOLOGICI MEMBRVM.

HALAE

APVD IOANNEM CHRISTIANVM HENDEL.